

Fabulae

Avianus

Dubitanti mihi, Theodosi optime, quonam litterarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit, quod in his urbane concepta falsitas condeceat, et non incumbat necessitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poemate loqueretur, cum in utroque litterarum genere et atticos greca eruditione superes, et latinitate romanos? Huius ergo materie ducem nobis Aesopum noveris, qui responso delphici Apollinis monitus ridicula orsus est, ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit, et poemati suo Flaccus aptavit, quod in se sub iocorum communium specie vitae argumenta contineant. Quas grecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit; Phedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit. De his ergo ad quadraginta et duas in unum redactas fabulas dedi, quas rudi latinitate compositas, elegis sum explicare conatus. Habes ergo opus quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudinem leves totumque vivendi ordinem cautus agnoscas. Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere facimus, ut pro singulorum necessitatibus vel ab ipsis animis sententia proferatur. >

I. [DE NUTRICE ET INFANTI.]

Rustica deflentem paruum iuraverat olim
Ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
Credulus hanc vocem lupo audiit, et manet ipsas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimiae dat membra quieti;
Spem quoque raptori sustulit inde fames.
Hunc ubi silvarum repetentem lustra suarum
Ieiunum coniux sensit adesse lupa:
Cur, inquit, nullam referens de more rapinam,
Languida consumptis sed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miserum vacua delituisse fuga.
Nam quae preda, rogas, quae spes contingere posset,
Iurgia nutricis cum mihi verba darent?
Haec sibi dicta putet seque hac sciat arte notari,
Femineam quisquis credidit esse fidem.

II. [DE TESTVDINE ET AQVILA.]

Pennatis avibus quondam testudo locuta est,
Si quis eam uolucrum constituisset humi,
Protinus e rubris conchis proferret harenis,
Quis precium nitido cortice bacca daret;
Indignum, sibimet tardo quod sedula gressu
Nil ageret, toto perficeretque die.
Ast ubi promissis aquilam fallacibus implet,

Experta est similem perfida lingua fidem;
Et male mercatis dum quaerit sidera pennis,
Occidit infelix alitis ungue fero.
Tunc quoque, sublimis, cum iam moreretur in auras
Ingemuit votis haec licuisse suis;
Nam dedit exosae post haec documenta quieti
Non sine supremo magna labore peti.
Sic quicumque nova sublatus laude tumescit,
Dat merito poenas, dum meliora cupit.

III. [DE CANCRIS]

Curva retro cedens dum fert vestigia cancer,
Hispida saxosis terra relisit aquis.
Hunc genetrix facili cupiens procedere gressu
Talibus alloquiis emouisse datur:
Ne tibi transverso placeant haec devia, nate,
Rursus in obliquos neu velis ire pedes,
Sed nisu contenta ferens vestigia recto
Innocuos prono tramite siste gradus.
cui natus: faciam, si me praecesseris, inquit,
Rectaque monstrantem certior ipse sequar.
Nam stultum nimis est, cum tu pravissima temptes
Alterius censor si vitiosa notas.

IV. [DE VENTO ET SOLE]

Immitis Boreas placidusque ad sidera Phoebus
Iurgia cum magno conseruere Iove,
Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
Carpebat solitum forte viator iter.
Convenit hanc potius liti praefigere causam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat aether
Et gelidus nimias depluit ymber aquas:
Ille magis lateri duplicem circumdat amictum,
Turbida submotos quod trahit ora sinus.
Sed tenues radios paulatim increscere Phoebus
Iusserat, ut nimio surgeret igne iubar,
donec lassa volens requiescere membra, viator
deposita fessus veste sederet humi.
tunc victor docuit praesentia numina Tytan,
Nullum praemissis vincere posse minis.

V. -- [DE ASINO PELLE LEONIS INDUTO]

Metiri se quemque decet propriisque iuvari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi,
Ne detracta gravem faciant miracula risum,
Coeperit in solitis cum remanere malis.
Exuvias asinus Gaetuli iam forte leonis
Repperit et spoliis induit ora novis.
Aptavitque suis incongrua tegmina membris,
Et miserum tanto pressit honore caput.
Ast ubi terribilis aramo [sic] circumstetit horror,
Pigraque praesumptus venit in ossa vigor,
Mitibus ille feris communia pabula calcans
Turbabat pavidas per sua rura boves.
Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
correptum vinclis verberibusque domat,
Et simul abstracto denudans corpora tergo,
Increpat his miserum vocibus ille pecus:
Forsitan ignotos imitato murmure fallas,
At mihi, qui quondam, semper asellus eris.

VI. -- [DE RANA ET VULPE]

Edita gurgitibus olimque [sic] immersa profundo
Et luteis tantum semper amica vadis,
Ad superos colles herbosaque prata recurrens
Mulcebat miseras turgida rana feras,
Callida quod posset gravibus succurrere morbis
Et vitam ingenio continuare suo;
Nec se Paeonio iactat cessisse magistro.
Quamvis perpetuos curet in orbe deos.
Tunc vulpes pecudum ridens astuta quietem
Verborum vacuam prodidit esse fidem:
Haec dabit aegrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida caeruleus cui notat ora color?

VII. [DE CANE QUI NOLUIT LATRARE]

Haut facile est pravis innatum mentibus, ut se
Muneribus dignas suppliciove putent.
Forte canis quondam, nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pavidae submittens verbera caudae,
Concitus audaci vulnere dente dabat.

Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Iusserat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus innexis crepitantia subligat aera,
Quae facili motu signa cavenda darent.
Haec tamen ille sibi credebat praemia ferri,
Et similem turbam despiciebat ovans.
Tunc insultantem senior de plebe superbum
Adgreditur tali singula voce monens:
Infelix, quae tanta rapit dementia sensum,
Munera pro meritis si cupis ista dari?
Non hoc virtutis decus ostentatur in aere,
Nequiciae testem sed geris inde sonum.

VIII. [DE CAMELO]

Contentum propriis sapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius fabella nostra monet,
Indignata cito ne stet Fortuna recursu
Atque eadem minuat quae dedit ante rota.
Corporis immensi fertur pecus isse per auras
Et magnum precibus sollicitasse Iovem:
Turpe nimis cunctis irridendumque videri,
Insignes geminis cornibus ire boves,
Et solum nulla munitum parte camelum,
Obiectum cunctis expositumque feris.
Iupiter irridens postquam sperata negavit,
Insuper et magnae sustulit auris onus.
Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit,
Et tua perpetuum, livide, damna geme.

IX. DE DUOBUS SOCIIS ET URSA

Montibus ignotis curvisque in vallibus artum
Cum socio quidam suscipiebat iter,
Securus, cum quodque malum Fortuna tulisset,
Robore collato posset uterque pati.
Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
In mediam praeceps convenit ursa viam.
Horum alter facili comprehendens robora cursu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille trahens nullo iacuit vestigia gressu,
Exanimem fingens, sponte relisus humi.
Continuo praedam cupiens fera saeva cucurrit,
Et miserum curvis unguibus ante levat;
Verum ubi concreto riguerunt membra timore

Nam solitus mentis liquerat ossa calor,
Tunc olidum credens, quamvis ieiuna, cadaver
Deserit et lustris conditur ursa suis.
Sed cum securi paulatim in verba redissent,
Liberior iusto qui fuit ante fugax:
Dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa?
Nam secreta diu multaque verba dedit
Magna quidem monuit, tamen haec quoque maxima iussit,
Quae merito semper sunt facienda mihi:
Ne facile alterius repetas consortia, dixit,
Rursus ab insana ne capiare fera.

X. [DE CALVO]

Calvus eques capiti solitus religare capillos
Atque alias nudo vertice ferre comas,
Ad Campum nitidis venit conspectus in armis
Et facilem frenis flectere coepit equum.
Huius ab adverso Boreae spiramina prestant
Ridiculum populo conspiciente caput.
Nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quae fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quod risus milibus esset,
Distulit admota calliditate iocum,
Quid mirum, referens, positos fugisse capillos,
Quem prius aequaevae deseruere comae?

XI. [DE OLLIS]

Eripiens geminas ripis cedentibus ollas
Insanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diversa duas ars et natura creavit:
Aere prior fusa est, altera ficta luto.
Dispar erat fragili et solido [sic] concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen allisam confringeret, aerea testa
Iurabat solitam longius ire viam.
Illa timens ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi est cum meliore fides,
Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam me sive tibi seu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus subdita sola malis.

XII. [DE THESAURO]

Rusticus impresso molitus vomere terram
Thesaurum sulcis prosiluisse videt.
Mox indigna animo properante reliquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves.
Continuo supplex Telluri construit aras,
Quae sibi depositas sponte dedisset opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
Admonet, indignam se quoque ture dolens:
Nunc inventa meis non prodis munera templis
Atque alios mavis participare deos
Sed cum surrepto fueris tristissimus auro,
Me primam lacrimis sollicitabis inops."

XIII. [DE HIRCO ET TAURO]

Immensum taurus fugeret cum forte leonem
Tutaque desertis quaereret antra viis,
Speluncam reperit quam tunc hirsutus habebat
Cinyphii ductor qui gregis esse solet.
Post ubi submissa meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper,
Tristis abit longaue fugax de valle locutus,
Nam timor expulsum iurgia ferre vetat:
Non te demissis saetosum, putide, barbibus,
Illum, qui super est consequiturque, tremo.
Nam si discedat, nosces, stultissime, quantum
Discrepet a tauri viribus hircus olens.

XIV. [DE SIMIA]

Iuppiter in toto quondam quaesiverat orbe,
Munera natorum quis meliora daret.
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec squamigeri desunt ad iurgia pisces,
Vel quicquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidae ducebant pignora matres,
Iudicio tanti discutienda dei.
Tunc brevis informem traheret cum simia natum,
Ipsum etiam in risum compulit ire Iovem.
Hanc tamen ante alios rupit turpissima vocem,
Dum generis crimen sic abolere cupit:

Iuppiter hoc norit, maneat victoria si quem;
Iudicio superest omnibus iste meo.

XV. [DE GRUE ET PAVONE]

Thre!ciam volucrem fertur Iunonius ales
Communi sociam conteruisse cibo;
Namque inter varias fuerat discordia formas,
Magnaque de facili iurgia lite trahunt,
Quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
Caeruleam facerent livida terga gruem;
Et simul erectae circumdans tegmina caudae,
Sparserat archamum sursus in astra iubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen insultans vocibus usa datur:
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Mersus humi semper florida terga geris:
Ast ego deformi sublimis in aera penna,
Proxima sideribus numinibusque feror.

XXI. [DE LUSCINIA]

Parvula progeniem terrae mandaverat ales,
Qua stabat viridi caespite flava seges.
Rusticus, hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam supplex forte petebat open,
Et vox implumes turbavit crudula nidos,
Suaserat et e laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet discedere mater:
Nam quid ab externis perficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis
At genetrix rursus tutior inde manet.
Sed, postquam curvas dominum comprehendere falces,
Frugibus et veram sensit adesse manum,
Nunc, ait, o miseri, dilecta relinquite rura,
Cum spem de propriis viribus ille petit.

XXII. [DE CUPIDO ET INVIDO]

Iuppiter ambiguas hominum praediscere mentes
Ad terras Phoebum misit ab arce poli.
Tunc duo diversis poscebant numina votis;
Namque alter cupidus, invidus alter erat.

His sese medium Titan scrutatus utrumque,
Obtulit et precibus cum peteretur, ait:
Praestandi facilis, nam quaeque rogaverit unus,
Protinus haec alter congeminata feret.
Sed cui longa iecur nequeat saciare cupido,
Postulit admotas in nova dona preces,
Spem sibi confidens alieno crescere voto,
Seque ratus solum munera ferre duo.
Ille ubi captantem socium sua praemia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit extinctus quo lumine degeret uno.
Alter ut hoc duplicans vivat uterque carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
Invidiaeque malum retulit ipse Iovi,
Quae dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Laetior infelix et sua damna cupit.

XXIII. [DE BACHO]

Venditor insignem referens de marmore Bachum
Expositum precio fecerat esse deum.
Nobilis hunc quidam funesta in sede sepulcri
Mercari cupiens compositurus erat;
Alter adoratis ut ferret numina templis,
Redderet et sacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Cum spes in precium munera dispar agit,
Et me defunctis seu malis tradere divis,
Sive decus busti, seu velis esse deum.
Subdita namque tibi est magni reverentia fati,
Atque eadem retines funera nostra manu.
Convenit hoc illis, quibus est premissa [sic] potestas,
An praestare magis seu nocuisse velint.

XXIV. [DE VENATORE ET LEONE]

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam nobilis atque leo.
Hi cum perpetuum cuperent in iurgia finem,
Edita continuo forte sepulcra vident.
Illic docta manus flectentem colla leonem
Fecerat in gremio procubuisse viri.
Scilicet affirmas pictura teste superbum
Se fieri: extinctam nam docet esse feram.
Ille graves oculos ad inania signa retorquens

Infremit et rabido pectore verba dedit:
Irrita te generis subiit fiducia vestri,
Artificis testem si cupis esse manum.
Quod si nostra novum caperet sollertia sensum,
Sculperet ut docili pollice saxa leo,
Tunc hominem adspiceres oppressum murmure magno,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

XXV. [DE FURE ET PARVO]

Flens puer extremam putei consedit ad undam,
Vana super vacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrimis postquam fur vidit obortis,
Quaenam tristitiae sit modo causa rogat.
Ille sibi abrupti fingens discrimina funis
Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora, sollicitam traxit manus improba mentem [lisez vestem]
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo
Sentibus immersus delituisse datur.
Sed post fallaci suscepta pericula voto
Tristior, amissa veste resedit humi,
Dicitur his sollers vocem rupisse querelis
Et gemitu summos sollicitasse deos:
Perdita, quisquis erit, post haec bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quod latet unda [lisez urna] vadis.

XXVI. [DE LEONE ET CAPELLA]

Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
Comminus esuriens cum leo ferret iter.
Et prior: heus, inquit, praeruptis ardua saxis
Linque, nec hirsutis pascua quaere iugis;
Sed cythisi croceum per prata virentia florem
Et glaucas salices et thyma grata pete.
Illa gemens: desiste, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis instimulare dolis.
Vera licet moneas, maiora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam quamvis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet."

XXVII. [DE CORNICE ET URNA]

Ingentem sitiens cornix adspexerat urnam,
Quae minimam fundo continuisset aquam.
Hanc enisa diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret inde sitim,
Postquam nulla viam virtus dedit, ammovet omnes
Indignata nova calliditate dolos.
Nam brevis immersis accrescens sponte lapillis
Potandi facilem praebuit unda viam.
Viribus haec docuit quam sit prudentia maior,
Qua coeptum volucris explicuisset opus.

XXVIII. [DE RUSTICO ET IUVENCO]

Vincla recusanti dedignantique iuvenco
Aspera mordaci subdere colla iugo,
Rusticus, obliqua succidens cornua falce,
Credidit insanum defremuisse pecus,
Cautus et immenso cervicem innectit aratro:
Namque erat hic cornu promptior atque pede,
Scilicet ut longus prohiberet verbera themo,
Neve ictus faciles ungula saeva daret.
Sed postquam irato detractans vincula collo
Inmeritam vacua calce fatigat humum,
Continuo eversam pedibus dispergit harenam,
Quam ferus in domini ora sequentis agat.
Tunc sic informi squalentes pulvere crines
Discutiens, imo pectore victus, ait:
Nimirum exemplum naturae deerat iniquae,
Qua fieri possit cum ratione nocens.

XXIX. [DE VIATORE ET FAUNO]

Horrida congestis cum staret bruma pruinis,
Cunctaque durato stringeret arva gelu,
Haesit in adversa nimborum mole viator;
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.
Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
Exceptum Satirus continuisset suo.
Quem simul adspiciens ruris miratur alumnus
Vimque homini tantam protinus esse pavet
Nam gelidos artus vitae ut revocaret in usum,
Afflatus calido solverat ore manus.
Sed cum depulso coepisset frigore laetus
Hospitis eximia sedulitate frui,

Namque illi agrestem cupiens ostendere vitam,
Silvarum referens optima quaeque dabat,
Obtulit et calido plenum cratera Liaeo,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.
Ille ubi ferventem labris contingere testam
Horruit, argenti rursus ab ore suflat [sic].
Obstipuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum silvis longius ire iubet:
Nolo, ait, ut nostris umquam succederet antris,
Tam diversa duo qui simul ora ferat.

XXX. [DE APRO ET QUOQUO [sic]]

Vastantem segetes et pingua culta ruentem
Liquerat abscisa rusticus aure suem,
Ut memor accepti referens monumenta doloris
Ulterius teneris parceret ille satis.
Rursus in excepti deprehensus crimine campi,
Perdedit indultae perfidus auris onus.
Nec mora, praedictae segeti caput intulit horrens,
Poena sed indignum quod geminata facit.
Tunc domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frustra secans.
Sed cum consumpti dominus cor quaereret apri,
Impatiens fertur quod rapuisse cocus,
Rusticus hoc iustam verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum demens in damna redisset,
Atque uno totiens posset ab hoste capi?
Haec illos descripta monent, qui saepius ausi
Numquam a peccatis abstinuere manus.

XXXI. [DE MURE ET TAURO]

Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans
Ausus ab exiguo laedere dente bovem.
Verum ubi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in amfractus conditur inde suos.
Ille licet vasta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, esse videt.
Tunc indignantem iusto sermone fatigans,
Distulit hostiles calliditate minas:
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen brevibus quae sit fiducia monstribus,

Et faciat quicquid parvula turba cupit.

XXXII. [DE PIGRO TURINTHIUM FRUSTRA ORANTE]

Haerentem luteo sub gurgite rusticus axem
Liquerat et nexos ad iuga tarda boves,
Frustraque depositis confidens numina votis
Ferre suis rebus, cum resideret, opem.
Cui rector summis Tyrinthius infit ab astris,
Nam vocat hunc supplex in sua vota deum:
Perge laborantes stimulis agitare iuencos,
Et manibus pigras disce iuvare rotas.
Tunc quoque congressum maioraque viribus ausum
Fas superos animis conciliare tuis.
Disce tamen pigris non flecti numina votis
Praesentesque adhibe, cum facis ipse, deos.

XXXIII. [DE ANSERE OVA AUREA PARIENTE]

Anser erat cuidam pretioso germine feta,
Ovaeque quae nidis aurea saepe daret.
Fixerat hanc volucris legem Natura superbae,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus, cupidum sperans vanescere votum,
Non tulit exosas in sua lucra moras,
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quae tam continuo munere dives erat.
Postquam nuda minax egit per viscera ferrum,
Et vacuum solitis fetibus esse videt,
Ingemuit tantae deceptus crimine fraudis;
Nam poenam meritis rettulit inde suis.
Sic qui cuncta deos uno male tempore poscunt,
Iustius his etiam vota diurna negant.

XXXIV. [DE CYCADA ET FORMICA]

Quisquis torpentem passus transisse iuventam,
Nec timuit vitae providus ante mala,
Collectus senio, postquam gravis adfuit aetas,
Heu frustra alterius saepe rogabit opem.
Solibus ereptos hiemi formica labores
Distulit, et brevibus condidit ante cavis.
Verum ubi candentes suscepit terra pruinas

Arvaque sub rigido delituere gelu,
Pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos,
In propriis laribus humida grana legit.
Decolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quae quondam querulo ruperat arva sono:
Se quoque, maturas cum tunderet area messes,
Cantibus aestivos explicuisse dies.
Parvula tunc ridens sic est affata cicadam;
Nam vitam pariter continuare solent:
Mi quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis ocia longa traho.
At tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

XXV. [DE SIMIA GEMELLIS]

Fama est quod geminum profundens simia partum,
Dividat in varias pignora nata vices;
Namque unum caro genetrix educit amore,
Alterius odiis exaturata [sic] tumet.
Coeperit ut fetam gravior terrere tumultus,
Dissimili natos conditione rapit:
Dilectum manibus vel pectore gestat amico,
Contemptum dorso suscipiente levat.
Sed cum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte remisit onus.
Alter ab hirsuto circumdans brachia collo
Haeret, et invita cum genetrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris,
Servatus vetulis unicus heres avis.
Sic multos neglecta iuvant, atque, ordine verso,
Spes humiles rursus in meliora refert.

XXXVI. [DE VITULO ET BOVE]

Pulcher et intacta vitulus cervice resultans
Scindentem adsidue viderat arva bovem.
Non pudet, heus, inquit, longaevo vincula collo
Ferre nec haec positis ocia nosse iugis.
Cum mihi subiectas pateat discursus in herbas
Et nemorum liceat rursus opaca sequi?
At senior, nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solidam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse thoro.

Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Admotum cultro comminus ire popae.
Hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri quae facit esse iugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Est hominum sors ista, magis felicior ut mors
Sit cita, cum miseris vita diurna negat.

XXXVII. [DE LEONE ET CANE]

Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
Fertur, et insertis verba dedisse iocis.
Nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo
Luxurietque toris nobile pectus, ait?
Proximus humanis ducor post ocia mensis,
Communem capiens largius ore cibum.
Sed quod crassa malum circumdat guttura ferrum?
Ne custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se silvis obvia praeda ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
Dum liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille gravem gemuit collectus in iram
Atque ferox animi, nobile murmur agit.
Vade, ait, et meritis nodum cervicibus infer,
Compensentque tuam vincula dura famem.
At mea cum vacuis libertas redditur antris,
Quamvis ieiunus quelibet arva peto.
Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem post posuere gulae."

XXXVIII. [DE PISCE ET FOCIS [sic]]

Dulcibus e stagnis fluvio torrente coactus
Aequoreas praeceps piscis obibat aquas.
Illic squamigerum despectans improbus agmen
Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit expulsum patrio sub iurgite phocas
Verbaque cum salibus asperiora dedit:
Vana laboratis aufer mendatia dictis,
Quaeque refutari te quoque teste queant.
Nam quis erat potior, populo spectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emptor,

Te simul aere brevi debile vulgus emit.

XXXIX. [DE MILITE VETERANO]

Voverat attritus quondam per proelia miles
Omnia suppositis ignibus arma dare,
Vel quae victori moriens sibi turba dedisset
Vel quicquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors affuit, et memor arma
Coeperat accenso singula ferre rogo.
Tunc lituus, rauco deflectens murmure culpam,
Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus affirmes quae tamen acta meis;
Sed tantum ventis et cantibus arma coegi,
Hoc quoque submisso (testor et astra) sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens:
Nunc te maior, ait, poena dolorque rapit;
Nam licet ipse nihil possis temptare nec ausus,
Saevior hoc, alios quod facis esse malos.

XL. [DE PARDO ET VULPE]

Distinctus maculis et pulchro pectore, pardus
Inter consimiles ibat inire feras;
Sed quia nulla graves variarent terga leones,
Protinus his miserum credidit esse genus.
Cetera sordenti damnans animalia vultu
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem vulpis amictu
Corripit, et vanas approbat esse notas:
Vade, ait, et pictae nimium confide iuventae,
Dum mihi consilium pulchrius esse queat,
Miremurque magis quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

XLI. [DE OLLA CRUDA A FLUVIO RAPTA]

Impulsus ventis et pressa nube coactus
Ruperat hibernis se gravis imber aquis.
Cumque per effusas stagnaret turbine terras,
Expositum campis fictile pressit opus;
Mobile namque lutum tepidus prius instruit aer.

Discat ut admoto rectius igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirat [sic] nomina testae.
Immemor illa sui: Amphora dicor, ait,
Nunc me docta manus, rapiente volumina gyro
Molliter obliquum iussit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat constare figura;
Nam te subiectam diluet imber, ait.
Et simul accepto violentius amne fatiscens
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quae magna sibi cognomina sumens
Ausa faretratis nubibus ista loqui
Haec poterunt miseros post hac exempla monere.
Subdita nobilibus ut sua fata gemant.

XLII. [DE LUPO ET HAEDO]

Forte lupum melior cursu deluserat haedus,
Proxima vicinis dum petit arva casis;
Inde fugam recto tendens in moenia cursu
Inter lanigeros asstitit [sic] ille greges.
Impiger hunc raptor mediamque secutus in urbem,
Temptat compositis sollicitare dolis:
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis,
Inmitem regemens morte cruentet humum?
Quod nisi securo valeas te reddere campo,
Heu mihi! vittata tu quoque fronte cades.
Ille refert: modo quam metuis, precor, exime curam,
Et tecum viles, improbe, tolle minas;
Nam sat erit sacrum divis fudisse cruorem,
Quam rabido fauces exsaturare lupo.
Sic quotiens duplici subeuntur tristia casu,
Expedit insignem promeruisse necem.